Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 325
Quelle:
Copyright:

ſa Expoſitio: *Apokalipſis ihesu chriſti quam dedit illi deus &c. Liber iſte prima ſui diuiſione diuiditur in tres* &c. Prologus ſecundus commentarius eſt in *Gilberti* Prologum in Apoc. quem uti et *Haymonem* et *victorinum* praeter antiquiores multum ſequitur in exponendo Noſter. C. XIII. *v. ult.* comparent Αντεμος et *Diclux*, ut in *Milionenſi*, nihil tamen de *Hebraeo*. Finis eſt: *Amen. Hic Jo. optat 7. eccleſiis et per conſequens omnibus fidelibus pacem chriſti et gratiam, quam concedere et preſtare dignetur, qui ſine fine* &c. Subſcriptionem imperfectam deſtituit Librarius: *Lectura ſuper appok. per manus rinch* vel *ruith et — —*. Cum *Lecturam* dicat, exiguam in Autoris nomine jacturam facimus.

CXXIV. VIII. D. 10.

271 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 145. f. currente calamo per duas columnas deſcriptus exhibet: I. prolixum *Commentarium in Apocalypſin S. Johannis*, cujus initium: *Apokalypſis ieſu chriſti. Omnipotens Deus ſuam ſponſam videlicet ſanctam et immaculatam eccleſiam volens more pij patris de nouiſſimis periculis inſtruere* &c. *Fol.* 99. ad *v. ult.* C. XIII. per *Beſtiam* autor *Antichriſtum* intelligit, numerumque 666. tribus linguis ita ei adplicat. Apud Graecos *Antichriſtum* ait dici Αντεμος id eſt *contrarium Chriſto*, apud Latinos *Diclux*, *quia ipſe dicet ſe lucem mundi*. Hebraicum vocabulum corruptum habet, et *ſolem*, interpretatur, *quia* Antichriſtus *dicit ſe eſſe ſolem iuſtitie*. Quodſi fortaſſe chaldaicum אסתהר ſcribere voluerit, aſſertum ſuum certe evicit, ut ſubputanti patebit. Sed cui non in mentem illud *Ciceronis* veniat: *Ratio quidem hercle adparet, argentum 'ωχεται.* Ad calcem legitur: *Explicit puſtilla ſuper Apokalipſim finita in die ſancti henrici prage anno domini M° CCCCXI° per manus Andree.* Ne ad virum doctum *Andream de Broda* Theologum *Pragenſem* ſubito referrem, vox *puſtilla* abſterruit. Lectionibus tamen Academicis ſcriptum hunc Commentarium vix dubitem.

II. *fol.* 140. p. 2. *Incipit tractatus manſionum XLII. ſecundum beatum Jeronimum.* Initium: *In ſeptuageſimo ſeptimo pſ. ex perſona domini dictum credimus* &c. Deficit cum *Manſione* XVIII. et extat integer T. I. *Opp. Hier.* edit. *Vallarſ. col.* 463. titulo *Epiſtolae* LXXVIII. *ad Fabiolam.*

Codici adtexta eſt Membrana continens *Teſtamentum Mareſs* ſeu Marci *braſeatoris ciuis noue ciuitatis Pragenſis* volentis *ad beatam Mariam virginem in aquis granum cauſa devocionis viſitare*, eligentis *prudentes ac circumſpectos viros Johannem hoffman pro tunc conſulem et Chotkonem de Broda de communitate ciues noue ciuitatis Pragen. in commiſſarios tutores disbrigatores et defenſores* ejus et roborantis illud ſigillis *prudentum virorum Johannis dicti Oczaſs iudi-*